


RMr. III.

573

S.



R. M. Jr.,
III. 513.

1892. 1794. 1894.
1785. 1890.

XC

59

TRACTATIO GEOGRAPHICA
DE
GLOBO TERRESTRI,

Qvam

Auspice & Duce Aeterno Numine

SUB PRÆSIDIO

M. JACOBI SCHNITZLERI,

Facultatis Philosophicæ Adjuncti & Gymnasij Mea

ropol. Transylv. Rectoris,

In Celeberrimâ Wittebergenſi Academia

publico Eruditorum examini

submittit

SALOMON RVNSTEDT,

Regiomont. Prussus

In Auditorio Minori Ad diem 27. Aug.

Horis Locis, Consuetis.

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken,

M. DC. LXII.

7C.

1874 12 11 1874
254 687



M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA

I. N. 3.
PRÆLOQVIUM.

DE Thalete Milesio Græciæ Septem-Viro legitur, eundem aliquando sidera in cœlo observasse ac in ipsâ observatione scabello pedibus innixum fuisse, cumq; illud, idè quod minus firmum atq; compactum esset, vacillaret, Thaletem decidisse & humi prostratum fuisse. Hoc cum anicula quædam fortè conspiceret, falsè sapientissimum Philosophum irrisit, utpote qui ea quæ in loco tam maximè dissito, cœlo nempe existunt, scire desideraret, & ea quæ coram, ante pedes, ignoraret. Fecit scilicet pro captu suo anicula. Quod autem ipsam rei veritatem attinet, certum est, plurima in Orbe Terrarum loca ignorari, neq; prodiit quisquam hætenus qui revelaverit singulos in Geographia angulos, maximè in Plagis Sub-polaribus & circum-polaribus. Hinc non immeritò Clarissimus Langius in Elementali suo, alterum Tychonem exoptat, qui æquè Terram describat secundum suas provincias & alia loca, uti Cœlum à celeberrimo Tychone secundum Astra descriptum est. Quod optime quidem optatur, sed frustrari fallor, speratur. Nos in præsentì Globum Terræ breviter considerabimus atq; ea quæ in eodem conspiciuntur & concipiuntur, quantum per angustiam chartæ licuerit, explicabimus. Tu autem conditor æternæ Cœli & Terræ adis nobis & dirige studia nostra ad Nominis Tui gloriam!

THESIS I.

Globus Terrestris est corpus Sphæricum repræsentans Terram, secundum se & partes suas cognitæ potissimum, incertâ eâque minori proportionē. Hunc ut plano ordine describamus agemus. (1.) de iis quæ in ipso Globo reperiuntur (2.) de iis quæ extra Globum quidē sunt, sed tamen ad eundē referuntur & (3.) de quibusdam quæstionibus huc apprimè facientibus.

2. Ante omnia verò probè notandum est duplicem esse Globum Terrestrē: Artificialem & Naturalem. Ille definitus est. Sed deinceps de hoc quoque dicendum, siquidem ille hujus pictura quædam quasi & simulachrum existit.

3. In ipso itaque Globo Terreno præter Axem cum polis suis ut & Circulos certos, de quibus alibi, consideratur (1) Terra & Aqua simul, utpote quæ in eadem reperiuntur Globi Terrestris superficie. (2) Affectiones Globi, ut sunt, Quantitas, Figura, Situs, Immobilitas, Longitudo & Latitudo (3) partes insigniores, quales sunt, Quinqve Zonæ & Climata, quæ circulis parallelis includuntur. (4) Loca tum Cognita tum incognita. Vid. Excell. Dn. Nottmag. Præceptorem nostrum optimè meritum Synops. Mathem.

4. Terra & Aqua simul unum tantum constituit Globum, quod firmiter probatur ex umbra tempore Eclipsium Lunarium, quæ unica tantum est. Si autem aliud esset Globus Aquæ à Globo Terræ diversus, necessariò duæ observabiles forent umbræ. Idem etiam probare potest sensibilis Aquarum undiquaque cum Terra cohærentia, siquidem ubique animadvertere licet Aquas Terræ tanquam basi suæ quasi incumbere.

5. Quantitas Globi Terrestris Artificialis ad sensum varia est, proportionaliter tamen semper eadem. At quantitas Globi Naturalis invariabilis existit. Ubi maximè considerari debet, Perimeter, diameter, superficies plana, superficies convexa & Soliditas.

6. Perimeter nihil aliud est quam Linea Circularis maxima. Unde patet perimetrum non secundum quemvis Circulum sumendam esse, sed unicè tantum secundum Circulum maximum. Nam si ea æstimaretur juxta Tropicum vel alium Circulum

lum minorem, semper iusto minus accideret; siquidem hi Circuli neque plano suo per centrum Globi transeunt, neque etiam Globum in duas partes æquales dirimunt, nec denique in his circulis uni gradui Cœlesti, respondent 15. Milliaria germanica.

7. Quantitas itaque perimetri in Globo Terræ si supputanda sit, supponi debet, id quod alias certissimum est, uni gradui cœlesti, respondere in Terrâ sub Æquatore vel alio Circulo maximo 15. milliaria Germanica; id quod exactissimè probatur per diversa phænomena cœlestia. His positis per Regulam Auream agatur ita: Unus gradus in cœlo dat. 15. mill. germ. in Terra; quid dabit totus Circulus Cœlestis seu 360. proveniente hâc ratione quarto loco 5400. mill. germ. quæ erunt perimenter quæsitæ. c. g.

$$\begin{array}{r}
 \begin{array}{ccccccc}
 & & \text{mill.} & & & & \text{mil.} \\
 0 & & & & 0 & & \\
 1 & \text{-----} & 15 & \text{-----} & 360 & \text{-----} & 5400.
 \end{array} \\
 & & & & 15 & & \\
 & & & & \hline
 & & & & 1800 & & \\
 & & & & 360 & & \\
 & & & & \hline
 & & & & 5400
 \end{array}$$

8. Diameter est linea recta ab uno puncto Globi extremo per cœtrum ad aliud punctum extremum protracta vel concepta. Hæc ipsa, jam cognita perimetro, facillimè elicitur per principium Archimedis, qui demonstravit jam dudum omnem diametrum se habere ad suam perimetrum ut 7 ad 22. & vice versâ. Dicatur itaque; 22 dant 7, quid ergo dabunt 5400 prodibit hâc ratione diameter Globi Terreni 1718 $\frac{2}{11}$ mill. germ. desiderata. c. g.

$$\begin{array}{r}
 \begin{array}{ccccccc}
 & & \text{mill.} & & & \text{mill.} & 1 \\
 22 & \text{-----} & 7 & \text{-----} & 5400 & \text{-----} & 1718\frac{2}{11}
 \end{array} \\
 & & & & 7 & & \\
 & & & & \hline
 & & & & 37800 & & 1718\frac{4}{22} \text{ vel } \frac{2}{11} \\
 & & & & 22 & & \hline
 \end{array}$$

9. Quia autem Semidiameter T. est mensura quædam in cœli dimensione Astronomis usi atissima, facilitatis ergo non retinentur 859 $\frac{1}{11}$ mill. germ. cum ita propter fractionem adhaeren-

rem omnes operationes tædiosissimæ & molestissimæ evadant
sed assumuntur 860. mill. germ. integra, quod plane nihil obstat,
siquidem sæpè tota Semidiameter T. vix habet sensibilem ali-
quam differentiam habito respectu ad cælum, multò minus er-
gò particula unius mill.

10. Superficies plana est Area Circuli maximi sive discus
in Globo maximus. Hæc ipsa superficies plana in Globo Ter-
ræ videri non potest & mente tantum apprehendenda est. Fin-
ge nempe Globum ad ductum Circuli Maximi sectum esse in
duas partes æquales, habebis in utroque Segmento planiti-
em aliquam instar disci vel Tympani bellici, quæ erit Superfici-
es plana.

11. Cum verò hæc Superficies plana jam exprimenda sit
in Milliaribus Germ. notandum hic non ita amplius sumi milli-
aria veluti in dimensione perimetri & diametri. Scilicet ibi
accepimus millaria in longum tantum secundum lineam didu-
cta, hic verò ulterius modus iste mensurandi procedere non po-
test; ideo sumimus millaria & in longum & in latum, ita ut
quodvis milliæ ex ætæm aliquod quadratum constituat cujus
4 latera singula unum mill. germ. comprehendant. Et hæc mil-
liaria vocantur Quadrata, quæ admodum in Geodæsia perticæ
quadrata & pedes quadrati.

12. Pro investigandâ superficie plana iterum opus est Ar-
chimedæ operâ. Principium Archimedæ tale est: Cujusvis Cir-
culi perimetrum & quarta pars diametri facit Rectangulum sive
Quadratum aliquod oblongum, cujus duo latera singula peri-
metrum, altera duò itidem singula $\frac{1}{4}$ diametri comprehendunt;
multiplicatis itaque his duobus numeris ex præced. jam co-
gnitis inter se invicem emergit quantitas Areae Circuli Maxi-
mi sive Superficies plana quæ sita. e.g. perimetrum Globi est 5400.
mill. germ. Quarta pars diametri per præced. 430. His nu-
meris in se ductis emergit Superficies plana 232000 mill. germ.
quæ sita. Idem etiam dabitur Semidiametro in Semiperimetrum
ductâ, vel etiam quartâ parte perimetri in integram diametrum
multiplicatâ. e.g.

15400.	perim.	2700	Semiper.
430	$\frac{1}{4}$ diam.	860	Semid.
162000		162000	
216		216	
2322000		2322000	

Superficies plana Globi Terreni in milliar.germ.qvadratis qvæ-
fitæ.

13. Superficies convexa Globi Terrestris est externa e-
jus facies qvàm oculis observare possumus qvamqve pedibus
calcamus. Hæc iterum in milliar.germ. per inventionem Ar-
chimedeam facili labore addiscitur. Principium Archmedis ta-
le est: Area Circuli Maximi sive Superficies plana in qvovcunq;
Globo cognita multiplicanda est per 4, & productum dabit il-
lius Globi, cujus qværitur, Superficiem Convexam desideratam
in mensuris usitatis. Cùm ergo Superficies plana per præced.
sit 2322000 mill.germ.multiplicatâ eâ per 4, prodeunt 9288000
mill.germ.qvadr.qvæ dant Superficiem Convexam Globi Ter-
reni concupitam.e.g.

2322000	Superficies plana
4	
9288000	Superficies Convexa.

14. Soliditas Globi Terreni est tota ejus capacitas in lon-
gum, latum & profundum. Anteqvam hæc in milliaribus germ.
exprimatur, sciendum, Geographos uti Milliaribus Cubicis, ita
ut qvodvis Milliare accipiat pro corpore tali, qvod & in lon-
gitudine & latitudine & Altitudine in singulis lateribus unum
milliare conficiat, unico verbo, pro cubo, qvemadmodum in
Geodæsia & in specie in Stereometria utimur mensuris & par-
ticulis cubicis maximè in praxi pithometrica.

15. Hæc Globi Terrestris Soliditas iterum per Hypothe-
sin Archmedis nullo fere negotio indagatur. Principium ejus
tale est: In omni Globo duæ tertiæ partes Superficieï planæ
per diametrum integram multiplicatæ in producto producent
Soliditatem. Cùm ergo per præced. Superficies plana sit in-
venta

venta 232000 mill. germ. quæ per 3 divisa in qvoto dant
 774000 unam tertiam, quâ duplicatâ prodeunt 1548000 duæ ter-
 tiæ Superficie planæ; itemque diameter neglectâ fractione
 producta sit 1718 mill. germ. (quam quantitatem diametri hic
 consulto assumimus propter notabilem differentiam à veritate,
 quæ importaretur si hic loci diametrum 1720 mill. germ. assu-
 meremus, aliter enim se res habet in cœlo, aliter in Terrâ. Vid.
 Theſ. 8 & 9. Seqvimur ductum Celeberrimi Mathematici, Ex-
 cell. Dn. Nottmagelii Præceptoris nostri meritissimi Synopf. Ma-
 them.) idèd his duobus numeris in se invicem ductis promer-
 get in producto Soliditas Globi Terreni 2659464000 mill.
 cubic. quæ sita. c. g.

	1548000	Superf. plan.
	1718	diam. $\frac{2}{3}$
	23284000	
	1548	
	10836	
	1548	
	2659464000	Soliditas Terræ.

16. Figura Globi Terrestris Sphærica seu rotunda est.
 Quia [1] Nulla figura in universâ Geometria reperitur cui ea-
 singula, quæ in cœlo contingunt, correspondeant eodem modo,
 uti sensibus animadvertimus, quam figura rotunda. Ponatur
 enim alia quæcunque figura e.g. Triangularis, quadrangularis
 &c. nunquam ita successivè phænomena cœlestia apparebunt
 vel apparere poterunt, prout id usu venire videmus in figura
 Terræ rotunda. Quod si verò quisquam nobis sententiam non-
 nullorum veterum obijciat, qui saltem putârunt, si non expre-
 sè statuerunt Terram esse posse in formâ Cylindrica vel ovali, ut
 pote quibus etiam ortus & occasus stellarum debito modo con-
 gruât; respondemus in figurâ Cylindrica, nullas distinctiones E-
 levationis poli esse posse, in ovali, verò inæqualissima spatia à
 meridiæ versus septentrionem in Terra gradibus cœlestibus
 respondentia necessariò futura; Quæ tamen ipsissimæ refragā-
 tur experientiæ.

17. Posset hic à quoque objici Phenomenon illud Solis quod Batavis in nova Zembla degentibus inspiratò apparuit, ob quod etiam nonnulli aestimarunt Terram non esse rotundam. Sed cum satis animadversum & notatum sit Solem tum temporis apparenter tantum ortum fuisse, reipsa verò sub Horizonte latuisse, & quidem illud contigisse propter refractionem quæ maximè tempore hiemali locum habet; ideo hoc ipsum necquicquam contra veritatem facit, cum etiam tandem justo tempore verus Sol ortus fuerit. Unde potius sequetur Terram reverà figuram habere rotundam.

18. Quia [2] Terra spargit Umbram Pyramidalem rotundam s. conicam, quemadmodum illud manifestissimè videri potest in Eclipsibus Lunaribus. Quicquid autem projicit umbram conicam illud est corpus rotundum. Si enim alia esset umbra quæcunque tum non posset Luna deficere secundum portionem circularem, sed vel angulosam haberet eclipsin vel irregulariter incurvatam. Quæ singula oculos aperienti evidenter apparent falsa. Cæcus autem de his ne judicium sibi arroget.

19. Quia [3] praxis nautica ad oculum monstrat Terram figurà sphericà esse præditam. Navis enim solvens à littore, atque in patentissimum Mare se extollens ab initio abscondit, partes sui inferiores, ita ut eadem non videri queant ab iis qui in littore permanserunt stare; Si verò quis in Malo Navis existat videtur is adhuc cum apice Navis; donec tandem & hæc omnia evanescant atque tota Navis amplius non conspiciatur. Eodem modo evidenti documento hujus rei esse possunt duæ Naves à se invicem solventes. Ex una enim Navi mox alterius fundus non videbitur; si vero quis Malum ascendat, totam Navim conspiciet, nisi eadem jam maximè remota sit.

20. Quia (4) Physicà ratione hoc quoque probari potest. Si enim gravia naturà sua æqualiter feruntur ad centrum suum, sequitur etiam eadem æqualiter à centro suo distare. At secundum Physicos gravia omnino feruntur ad centrum, unde etiam æqualitatem figuræ, h. e. rotunditatem, causabuntur.

21. Intelligitur autē hīc rotunditas non omnibus modis secundum omnes particulas perfecta; sed quā proximē talis. Dicimus unico verbo: Nulla figura inter omnes figuras Geometricas datur quā propiūs accedat ad figuram Terræ quā Sphærica, quā non incommode Sphæroides dici solet. Neque enim diffitemur atissimos montes itemque valles profundissimas aspredines quasi quasdam in Superficie Terræ causari, ita ut quasi verrucæ quādam Terrę impressæ videantur; sed tamen negamus propterea non posse Terram esse rotundam.

22. Situs Globi terreni omninō in medio mundi seu huius universi existit. Quia (1) Si Terra non esset in Medio Mundi rñm necessariō Stellæ fixæ orientes & occidentes nonnunquam apparerent majores nonnunquam minores. Cū verō hoc non fiat necesse est Terram in medio mundi sitam esse. Nec obstat quod nonnunquam Stellæ in oriente majores appareant & in occidente quā in Meridie. Hoc enim fit propter causam opticam, refractionem nempe, quā mera est deceptio visus. Distingue ergō inter id quod revera & quod apparenter fit. Quia [2] omnes Circuli cœlestes planis suis ad Terram applicati eandem æqualiter ex omni parte intersecant & etiam protracti usque ad Superficiem Terræ ibidem eosdem Circulos ostendunt, quemadmodum id optimē ex Schematibus videri potest. Hæc autem ut ita contingerent impossibile foret, si Terra extra Medium Mundi posita esset. Quia [3] in omnibus Terræ partibus semper sex signa Zodiacalia supra & totidem infra Horizontem existunt, quod neutiquam fieri posset si Terra à Medio Mundi aliorum inclinaret.

23. Immobilitatem Terræ Globo attribuimus. Quia (1) expresse hanc eidem assignat S. Scriptura. Ecclesiast. 1, 4 & 5. Psal. 104, 5. & 24, 2. 1. Chronic. 16, 30. Idem etiam evincitur ex illis oraculis Sacræ Scripturæ, ubi Stellæ moveri dicuntur, vel miraculosē stetisse. Psal. 19, 7. & 104, 19, 22. Jos. 10, 13, 14. Esa. 38, 8. Pudeat ergō Christianos homines qui fastuosē expressissima hæc Spiritus Sancti effata in alienum sensum detorquent. Quia (2) Terra Mundi basis vocatur in S. S. proverb. 8, 29. Job. 38, 4. 6. Esa. 34, 18. Omnis autem Basis debet esse immobilis naturaliter, id quod

quod & Architectura tùm Civilis tùm militaris nos docet, imò & ipse Salvator dulcissimus subindicat Matth. 7, 24. Quia [3] oculis hoc clarè videmus: Sint interim Cæci qui in opinionibus suis præconceptis perseverant. Potest videri, si placet, Respons. Mez ad Argum. Copernic. de Motu Terræ.

24. Longitudo Globi Terreni est vel integer tractus vel ejusdem pars, ab occasu in ortum numerata. Terminus ejus sumitur secundum Veteres in Insulis Fortunatis seu Canariis, secundum Recentiores in Insulis Flandricis, per quas transit Semicirculus in Globo crassiusculè pictus, qui ubique notat Principium Longitudinis. Numeratur autem Longitudo ab occasu in ortum, quia (1) Terra secundum hanc partem magis est habitata quam aliam, (2) quia Stellæ in cœlo quoque plus secundum hanc plagam moventur quam aliam, perinde ferè ut Viatores se habentes. In specie ab occasu fit progressio versus ortum, q. motus stellarum proprius sit ab occasu in ortum; unde etiam signa ab occasu in ortum numerantur.

25. Latitudo est vel integer tractus à Septentrione in meridiem vel portio ejusdem. Terminus ejus potissimum sumitur ab Æquatore. Si quis objiciat in Corpore rotundo non dari Longitudinem vel Latitudinem, respondemus, non dari in se considerato Globo & simpliciter, dari tamen certo respectu, ex hypothesi, ad meliorem Globi Terreni divisionem, explicationem & cognitionem. Verbo; Non Physicè, sed Mathematicè. De his duabus affectionibus, Longitudine & Latitudine Globi Terrestris, præ aliis, prolixiores deberemus forsitan esse, sed vides, benevole Lector Chartam in angustias cogi. Ideò Vid. Ampliatque Celeberr. Mathem. nostrum Dn. Nottmag. Synopsis Mathem.

26. Partes Globi Terreni insigniores sunt Zonæ & Climates. Zonæ sunt Quinquæ (1) Torrida quæ in Globo Terræ comprehenditur inter duos Tropicos Circulos & in medio bisecatur ab Æquatore. (2) Temperata Septentrionalis, quæ intra Tropicum Cancræ & polarem Arcticum sita est (3) Temperata Meridionalis inclusa inter Tropicum Capricorni & polarem Antarcticum (4) Frigida Septentrionalis comprehensa inter polare

Arcticum & polum Septentrionalem (5) Frigida Meridionalis, sita inter polarem Antarcticum & polum Australem. Quamquam verò propriè loquendo hi Circuli non sint in Terra, sed potius in cælo tamen cum Globus Terræ Cælo undiquaq; cingatur in medio existens, concipiendi sunt hi Circuli quoque in Globo terrestri, ob quod etiam ibidem representantur una cum Zodiaco, ut motus Solis, eò melius respectu Terræ simul & semel animadverti queat.

27. Climata secundum rei veritatem non per totum Terræ Globum se extendunt, sed tantum ab uno polari usque ad alterum, ita tamen ut in medio ab Aequatore fiat initium & versus Boream usque ad polarem Arcticum numerentur 24, versus Austrum verò usque ad Circulum polarem Antarcticum itidem 24. Climata, adeoque in universum 48 Climata. A polaribus usque ad polos nulla propriè loquendo amplius sunt Climata. Quia fundamentum Constitutionis Climatum ibidem evanescit.

28. Quemadmodum autem Zona, ita etiam Climata certis Circulis comprehenduntur, qui in Globis rectè fabricatis facillè conspici possunt. Præter hos autem Circulos aliæ plurimæ lineæ Circulares ex Cyclis Ventorum ordinem continentibus excurrentes observantur in Globo, quæ monstrant Ventorum habitudinem diversasque Loxodromias vel Rumbos uti vocant nonnulli. Tales Cyclos Ventorum ubique licet concipere infinitos, ut ita omni tempore habitudo plagarum in promptu sit. Hinc etiam in nonnullis Globis plures: in nonnullis verò pauciores videntur. De aliis Circulis nimia facilitas tacere nos jubet.

29. Loca cognita sunt partim Antiqua partim Nova. Illa sunt potissimum Evropa, Africa, Asia. Hæc America & aliæ Insulæ ut & Aquæ plurimæ. Eodem modo Incognita sunt plurima, maximè circâ polos, quemadmodum id optimè ex inspectione Globi patet. Descenderemus libenter hic ad specialiora, sed penuria chartæ id prohibet.

30. Jam breviter dicendum est de iis quæ extra Globum reperiuntur, ubi quidem nemini ignotum est quod in Globo Artificialia-

tificiali Horizon, cum calendario alterutro vel utroq; Juliano & Gregoriano, ut & ventorum serie; itemq; Meridianus æneus, Cyclus horarius cum Indice, nec non Acus Magnetica Pyxidi Nauticæ in fundo Globi inclusa, nonnulli etiam Quadrans Altitudinis, videatur. Cum verò quædam in ipsum Globum referri debeant, quædam verò uberius in Tractat. De Globo cœlesti notata sint & alibi copiosè reperiantur; ideò nunc paucissima quædam de Mappis quæ extra Globum sunt, trademus.

31. Mappæ sunt Chartæ Geographica situm & dispositionem locorum ad se invicem ingeniosè ostendentes. Dicuntur Mappæ, quia olim revera Mappis seu hinteis picturæ Regionū inferebantur, vel etiam quia formam Mappis similes hæ chartæ potissimum obtinent nēpe quadratā. Sunt a. Mappæ vel Universales vel particulares. Illæ repræsentant Totū Terræ Globum. Hæ iterum sunt vel majores, quæ potiores Terræ partes repræsentant, ut, Europam, Africam, Asiam & Americam; vel minores, ut Mappa Germaniæ, Saxoniz, Terræ Sanctæ &c. In his ubique notanda sunt 4. latera, quorum superius dicitur Frons, inferius Calx, utrumque gradus Longitudinis comprehendit. Reliqua duo latera vocantur dextrum & sinistrum, gradus Latitudinis comprehendentia. Medium, Area, vel Facies Mappæ vocatur. Reperitur etiam plerumque in Mappis Circellus Magneticus habitudinem plagarum & ventorum ostendens.

32. Structura Globi Terrestris difficilis non est sed laboriosa. Fiat nempe perinde, uti in Tract. de Globo Cœlesti monstravimus, Globus aliquis circulis debitis ornatus. Deinde loci inscribendi cognita sit Longitudo & Latitudo, juxta quos duos terminos ductæ Lineæ Circulares necessariò se interfecabunt, & ubi intersectio illa fit, ibi est genuina sedes loci propositi in Globo. Ita licebit procedere cum Terminis Regionum, deinde cum civitatibus nobilioribus donec tota Globi constructio absolvatur.

Quæstio I.

Quomodo Mappæ Geographicae construuntur?

Fit hoc artificiosè per Longitudines & Latitudines locorum. Sit e. g. proposita quæcunque provincia Mappæ inscribenda. Sumatur ergò in Termino Orientali & Occidentali Longitudo utrobique debita, itemque in Terminis Septentrionali & Meridionali, Latitudo, atque deinceps lateribus singuli gradus tum Longitudinis tum Latitudinis inscribantur. Dehinc media sive interiora loca conferantur per Longitudines & Latitudines & semper se offeret in Area Mappæ intersectio quò Locus tuus inscribi debebit. Potest id etiam Geodætice & quidem omnium optimè fieri, si nempe integra regio perinde ut Ager vel Campus planimetricè mensuretur. Utinam hoc fieret, certè Geographia longè perfectior foret. Modum plurimi monstrant, rem verò paucissimi tentant. Denique potest etiam Mappa mechanice utcunque fieri beneficio Circini ex nota distantia locorum à se invicem itemque confusâ cognitione saltem sitûs respectu plagarum mundi. Nempe proponantur duo loca quæcunque in debita sua distantia, pro chartæ proportionem secundum sua milliaria, juxta quam distantiam etiam Scala milliarium construatur. Deinde reliqua loca per distantiam suam in milliariis cognita ut inscribantur, capiatur cujusque loci distantia in Scala milliarium & cum eadem ex uno loco primò inscripto fiat Arcus Circuli, eodemque modo ex altero loco primò inscripto secundum distantiam loci propositi, observato tantum rectè situ, & iterum se offerent ubique sectiones sedem loci tui ostendentes.

Quæstio II.

Quomodo in Globo Terrestri unius loci distantia ab altero investigetur?

Propositis duobus locis quibuscunque circino quodam, aperto cape intervallum inter duo illa loca comprehensum. Hoc intervallum applica Equatori, vel, si magis placet Meridiano aut etiam Horizonti, in interiori tamen limbi termino; quotque gradus Intervallum Circino inclusum comprehendit, toties 15. milliariis loca duo proposita à se invicem distabunt plus

plùs minùs. Si nullus Circulus ad manus sit filum idem præstabit;
si neque filum habeas, erue capillos.

Quæstio III.

Quâ ratione in Mappis unius Loci distantia ab
altero facilè indagari queat?

Si forsitan talis Mappa ad manus sit ubi reperitur Equator, procedendum erit eodem modo uti præced. Q. dictum. Si verò alia quæcunque Mappa occurrat, tùm ea vel habebit Scalam Milliarium; vel non. Si habet scalam milliarium appositam applica distantiam propositorum locorum circino, vel Regulâ vel filo acceptam ad eandem & desiderio tuo satisfacies. Si non adsit Scala milliarium, intervallum Circino acceptum applicandum erit gradibus Latitudinis Lateri dextro vel sinistro Mappæ plerumque adscriptis, & quot gradus ibi respondent, toties per 15. milliaria unus Locus ab altero distabit.


SOLI DEO GLORIA.



Digna Tuis Studiis SALOMO divina Mathesis,
Ne dubites, referet digna brabeja Tibi.


Ita vovet Dn. Conterraneo

Abrah. Calovius, D. Prof.
Primar. & Electorat, Saxon.
Super. Gener.



Est pulcherrima res Terram scrutarier almam
Perque Globum, quantum ponderis illa ferat ?
Adjun-

Adjungas cœlum, RUNSTEDT, sic linquere pergens
Hanc Terram, felix castra superna petes.
benevolentia ergò l.m.g. f.
PRÆSES.



Ad Eximium atq; Literatissimum
DN. RESPONDENTEM,
Sympatriotam atque Commensalem pl.
dilectum.

Si fecunda seges steterit concredita sulcis
Venturæ Cereris spem facit eximiam.
In Te larga seges doctrinæ credita surgit,
Quas non promittas sedulitatis opes?
Conseruet, foveat proventum quem sibi de te
Patria promittit Gratia dia poli.

*ἐπιχάρματ' ἔβρα
deproperavit*

Christophorus Pambius,
Dantiscanus.



